



D6.2.





1

PANEGYRICVS  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE PRIN-  
CIPI AC DOMINO, DOMINO  
**FRIDERICO,**  
**REGI BORVSSIAE,**  
**MARCHIONI BRANDEN-**  
**BVRGICO AC S. ROM. IMPERII ARCHI-**  
**CAMERARIO ET ELECTORI, DVCI MAGDEBVRGI, CLI-**  
**VIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE,**  
**CASSVBIORVM, VINEDORVM, AC IN SILESIA CROSNAE,**  
**BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII,**  
**MINDAE, ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAE, MARCAE,**  
**ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINI ET TERRA-**  
**RVM LAVENBVRGI AC BVTOVIAE,**  
**CETERA,**

*REGI AC DOMINO SVO LONGE  
CLEMENTISSIMO,*

IPSO REGALIS AVSPICII ET SACRAE  
VNCTIONIS DIE,

HOC EST

XVIII JANVARII c<sup>o</sup> I<sup>o</sup>ccl

**ACADEMIAE FRIDERICIANAE**  
PVBLICO NOMINE  
DEVOTISSIME DEMISSISSIMEQUE  
DICTVS

A  
**CHRISTOPHORO CELLARIO,**  
ELOQVENTIAE PROFESSORE.

HALAE MAGDEBVRGICAE,  
LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

*m*

PANEGYRICAS  
SERENISSIMO ET CLEMENSIMO PRIN-  
CIPI AC DOWMO, DOMINO  
**ERUDERICO**  
**REGI BORSSIAE**  
**MARCHIOI RRUANDEN**  
BARGICOGC. ROM IMPERII ARCHI-  
CAMERARIO ET ALMAGROI MAGDEBVRG CI-  
AIVE, IAVIERI, MONTI, TURATI, SOMBRANIE,  
CASSAVTURIAN, ASTRIDUR, VALLARTA, GROSSEI  
DARGOLOVAD NOVAD MAGDE-  
MINDVE, ET CAVIMA  
ET HABENSBERGIA  
RUMA  
**KEN. PR. FR.  
UNIVERS.  
ZVHALLE**

REGI AEGIDIUO QWOMNGE  
CIVITATIS SUMMO STAS.  
ILSO REGI AEGIDI ET SACRE  
HOC EST IN DILECTIO DILECTIO  
ACADMIAE ERIN RICIANAE  
PATERICO NOME  
DE AEGIDIUS DILECTUS  
TUM, DE EGESTA IMPERIA CONI JOMUS  
CHRISTOPHORO CLAVARIO  
EGAVINTIA TRISTORI  
HABER MAGDEBVRG  
ILLIBRIS CERI HINCERI, AEGIDI LBBOR.



PANEKYRICVS  
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
**REGI BORVSSORVM**  
ET CETERA  
DEVOTISSIME DICTVS.

Aieftas Regia nobis, Auditores,  
adoranda eft. MAIESTAS.  
o quanta lux! REGIA. quam  
fuauis vox! nam illa fulgore co-  
rufcat, qui noſtra omnia splendi-  
diora reddit, omnia maiora, digniora facit:  
REGIS nomen naturam indolemque benefi-  
cam ſonat, qualem fidera benigniora præ ſe fe-  
runt, quæ terram lumine ac contactu fouent,  
agris vbertatem præbent, quæ gignuntur  
iuuant, genitis incrementum dant, vitamque  
A omni-

omnium tuentur & conseruant. Quos enim  
maiores in cælo ignes suspicimus, minorum si-  
derum quasi Reges esse, & tam lumen illorum  
augere, quam illustrare terrestria, quis negat  
nisi cæli terræque imperitus, & indignus ut il-  
lius luce, huius opibus, cælesti munere produ-  
ctis, fruatur? Hæc maiora sidera & benefica  
luminia Reges in terris imitantur, ut in excelso  
loco, quasi in cælo constituti, humano generi  
opem ferant, & quod æquum, quod bonum est,  
omnibus impertiant. Cælesti itaque imita-  
mentum & magnitudinem virtutis ad summum  
prouectæ audimus, quum lætissimo nuntio ex  
Borussia adfertur, hodie (o faustam lucem!) se-  
renissimum potentissimumque Principem ac  
Dominum, Dominum FRIDERICVM,  
Marchionem Brandenburgicum & S. Rom. Im-  
perii Archicamerarium ac Electorem, Patrem  
patriæ indulgentissimum, nostrumque mitissi-  
mum Dominum, benignis fatis & propitio cæ-  
lo REGEM BORVSSORVM, dignissi-  
mo tanta Maiestate apparatu, renuntiari, sum-  
mæ potestatis insignibus splendidissimis, coro-  
na, sceptro, purpura condecorari, & ea omnia  
diligentissime fieri, quæ maximam REGI au-  
toritatem, hoc est MAIESTATEM dant,  
& spem maioris roboris, & firmioris præsidii,

au-

auteriorisque benignitatis ac munificentiae non  
Borussis modo, sed cunctis ditioni Brandenbur-  
gicæ subiectis, etiam vicinis & sociis populis  
adferunt. Quos ergo nunc plausus, splendi-  
dissimi Auditores, in Borussia efferri putatis?  
quas edi voces & faustas acclamations? quæ  
vota fieri pro REGIS salute, pro REGNI  
prosperitate? quas audiri congratulationes?  
Non capit Borussia amplis finibus suis bona ver-  
ba omnia, signa omnia lætitiae: in nostras re-  
percussu regiones adferuntur, & heic, heic quo-  
que læta omnia, quæ ibi proclamantur, exaudi-  
re mihi videor, quæ repetita voce hanc ciuita-  
tem, hanc Academiam, & hoc ipsum, quod  
complemus, auditorum videntur personare.  
Iustæ lætandi gratulandique causæ Borussis  
sunt quotquot Regni felicissimi formam ac no-  
men accipiunt: iustæ quoque Brandenburgi-  
cis cunctis regionibus, quæ decus inde maius,  
quæ præsidium validius, quæ commoda largio-  
ra abundantioraque sperant & exspectant: iu-  
stiores autem præ ceteris huic nostræ sunt  
FRIDERICIANÆ. Quia enim lætitia  
nunc sensus suos exprimat? quibus se plausi-  
bus attollat, vt PATRI & SERVATO-  
R I suo gratuletur, & pro salute EIVS in  
seros annos proroganda pietatis officium fa-  
ciat?

ciat? Liberi gaudent & exsultant, quum parentibus honores noui accrescunt, idque tam pietatis officio faciunt, quam spe optimioris fortunæ, qua inde sibi quoque prospiciatur.

Quod igitur religio officiorum iubet, quod subiectio multo demississima gestit, ad quod quisque obsequio suo ac munere incitatur; id hac luce, spectatissimi Auditores, deuote & alacriter prosequamur, nec ulli populo aut ciuitati concedamus, ut huius diei officio pietateque nos anteuertat, quia multæ nos maximi momenti rationes circumstant, quæ non tam adliunt, quam premunt, vrgent, ut ceteros omnes hoc festo die si non voce, tamen mentis pia & fausta meditatione, & votorum sinceritate superemus. Glorietur incluta Regiomontanorum Academia, quod instituta sit a primo DVCE Borussiæ, ALBERTO Brandenburgico: at nostra est condita ab REGE primo ex eadem domo celsissima. Illa spectatrix huius diei magnificentiae est: nos, quod oculis non potest subiici, locorum excludente distan-  
tia; animo repræsentemus, & mentis ac vocis officio agamus omnia, quæ præsentes illi con-  
cipiunt, quæ acclamant & gratulantur. Quas partes quum mihi a magnifico PRORECTORË & omni Senatu Academicò impositas videam,

ad

ad agendas illas, quantum possum, eo promptius  
accedo, quo ipse potentissimo REGI, meo  
clementissimo DOMINO, sum deuotior  
tum pietatis reuerentia, tum animi subiectione  
ac obsequio.

Maiestatem Regis FRIDERICI cele-  
braturus, a diuinis vt auspiciis incipiam, res ipsa  
& sanctitas religionis admonet. Deum esse qui  
Reges mortalibus imponit, qui regna consti-  
tuit, & firmat, & in tutelam humani generis  
conseruat; eodem veracissimo, qui haec consti-  
tuit, auctore est notissimum. Quum autem  
ipse se toties Regem, & caeli ac terrae Regem  
appellat, quid aliud quam potestatem summam,  
cum mirifica clementia coniunctam, significat?  
Id quod aeternum exemplum est, ad cuius imi-  
tationem, quos Deus Reges in summo, quod  
mortales consendant, fastigio locauit, compo-  
ni vult & conformari, vt omnibus potestate,  
qua possunt, praesidio sint, & fortunis, quibus  
instruunt, quam plurimis benefaciant. Faces-  
fiant igitur, quibus exosum nomen REGIS est,  
quasi publicæ libertati inimicum: quum nihil  
per se iniquum sit, quod Deus sibi vindicat, &  
cum hominibus communicatum, Deum tamen  
auctorem habet: vt indolem magis beneficam  
Regum, & libertatis seruaticem, quam quid-

B

quam

quam formidandum bonis , aut publicæ rei ad-  
versarium præ se ferat. Sint gentium quarum-  
dam iniusti domini , sint impotentes alibi tyran-  
ni; R E G I S autem nomen sacrosanctum est &  
venerabile , beneficentia non minus , quam ma-  
iestatis signum , ad diuinum exemplar & ideam  
conformatum , quod minime pertimescant ho-  
mines , sed bonitate eius , cui impositum a Deo  
est , perpetuo lætentur. Quod quum ita sit , ex  
ipso nomine futurum præuidemus , vt ampliora  
sint in posterum , quibus nos R E X benignissi-  
mus adficiet , quippe natus ad beneficiendum ,  
R E G I O nunc nomine , quo diuinitus orna-  
tur , ad præclare merendum fit multo excitati-  
or. Tam mirifice bonus in suos omnes fuit , vt  
magis esse posse credibile non videretur : atta-  
men nunc cumulus ad E I V S beneficentiam ac-  
cedet , quia fastigium , quo stetit ille , nunc altius  
& in summum rerum humanarum eleuatum  
est: & splendor , quo decoratus fuit , sereniore  
iam luce resulget , quam D I A D E M A radiatum  
& nomen R E G I S augustissimum circum-  
fundunt.

Exulta ergo , o Fridericana Academia:  
lætare R E G I S tui augustiore habitu & for-  
ma: de R E G A L I munificentia tibi gratulare.  
PRINCEPS magnus & præpotens ELE-  
CTOR

CTOR ingenti te sumtu condidit; idem iam  
REX creatus te R E G I O more , ampliatis  
cumulatisque beneficiis, conseruabit. Quod si  
non minus iucundi sunt illi dies, quibus conser-  
vamur, quam quibus nascimur; non minori re-  
ligione colendus est dies DIADEMATI S sumti,  
quam ille prior natalitus. nam ex hoc initium  
Academia habet & per septem annos liberalem  
conseruationem : ex illo habitura est, quo libe-  
ralius in posterum maioreque & Regali munifi-  
centia ornetur. Natalis , kalendæ Iuliæ , aut,  
correctis fastis , v idus Iulias , vtique nobis sa-  
crosanctus est, eritque in perpetuum : nec vero  
minus hic, quasi natalis alter, a nobis est colen-  
dus, quo , qui priori die vitam accepit , & cæli  
lucem hanc adspexit, REGIS nomen & DIADE-  
MA accipit , idque etiam cælestis mutu prouiden-  
tiae. Mos fuit Romanorum Principum ,  
quotannis duos natales celebrare, vnum quo  
nati erant & in lucem editi; alterum quo Orbis  
imperium suscepérunt , quem non minùs ac  
istum *natalem* appellauerunt, quod illo die in  
clariorē lucem reipublicæ producti fuerant.  
De Hadriano , Romano Imperatore , ix kalend.  
Februari nato , Aelius Spartianus in Vita refert,  
tertio iduum Augusti die *Natalem Imperii*  
instituisse celebrandum, quum biduo ante, hoc  
B 2                   est,

eft, quinto iduum Augusti æque adoptionis natalem celebrari idem iussisset. Quem ergo IMPERII NATALEM dixit, eius diei religio- nem C. Plinius Secundus reuelauit, quum ex Pontica, quam regebat, prouincia ita Traiano Imperatori scripsit: *Diem, in quem tutela gene- ris humani felicissima successione translata est, debita religione celebrauimus, commendantes Diis, imperii tui auctoribus, & vota publica & gaudia.* Et alio anno ad eundem Plinius: *Diem, Domine, quo seruasti imperium dum su- scipis, quanta mereris lætitia celebrauimus, pre- cati Deos, ut te generi humano, cuius tutela & securitas saluti tue innisa est, incolumem flo- rentemque præstarent.* Etiam Traianus, re- spondens Plinio, DIEM IMPERII SVI vocat, eiusque publica repetitaque celebratione ma- gnopere lætatur. Quid obstat ergo, Auditores summi & ornatisimi, quo minus Romanum morem imitemur, & hunc XVIII Ianuarii, seu xv kalendas Februarias, natalem alterum serenissimi clementissimique nostri REGIS appellemus, eodemque ritu & religione, quo adhuc coluimus natalem vitæ, hunc quoque REGNI primum diem celebremus? Quod si ita est, vt nemo dubitat, & adhæc illu- stre exemplum Romanorum probat; non sol- lici-

licite nobis dispiciendum est , quibus cærimoniis, quoue ritu hunc festum REGNI DIEM peragamus, quia natalis vitæ, adhuc quotannis celebratus, præclaro documento est, quo & hicce ritu & qua religione a nobis sit colendus & celebrandus. Quod antequam ingrediamur, de ipso REGNO, quod hodie auspiciis factis inaugurator, præfari aliquid non erit alienum.

Borussorum illud est, antiquæ gentis, nec Romanis olim incognitæ. Cornelius Tacitus, cordatisimus auctor, qui dextero litore maris Sueuici, hoc est Codani sinus, adluantur, AESTIOS appellat, Germanicæ originis gentem, quamuis ultra Germaniæ limitem, qui Vistula amnis erat, in Sarmatarum solo positam. Ex succini prouentu, quem Aestii suis dat Tacitus, ita est ad comprobandum facile, in Borussiæ illos litore antiquitus sedem habuisse, ut dubitare de eo non liceat. Magno enim consensu auctores veteres confirmant, illud glesfi siue succini nusquam copiosius inueniri, quam in litoribus, quæ ultra Vistulam in finibus sunt Sarmatarum. Idem Cornelius huic Aestiorum genti Sueorum ritus & habitum contribuit; at linguam similiorem Britannicæ. Laudat quoque colendi agri sollertiam maiorem, quam pro indole Germanorum, vt ab Rheno adue-

C

nisse

nisse videantur , quod eamdem industriam in  
Vbiis , Rheni accolis , C. Cæsar antea laudaue-  
rat: id quod etiam ad linguam , quam Tacitus  
notauit , aliquanto propius accedit . Alii ex  
Scandinavia , magna illa septemtrionis penin-  
sula , quam vaginam gentium Iornandes dixit ,  
egressos Aestios , tamquam Gothicam gentem ,  
& litora illa occupasse referunt . Neutris fidem  
pro certo , ut solet in obscura antiquitate , habe-  
mus: industriam potius , quam laudat Tacitus ,  
miramur , quæ prima causa est felicitatis . Idem  
Iornandes , siue Iordanes , Rauennensis episco-  
pus , & ipse Gothus origine , PACATVM HOMI-  
NVM GENVS hos Aestios non sine singulari  
laude dixit . Pacis studium virtutis fertilita-  
tem probat , quæ largius in otio , quam inter ar-  
ma & pugnas , prouenit . Indolem quoque di-  
scendis litteris idoneam , vtrumque Aestiorum  
studium ostendit , quæ postea clarissime eluxit ,  
quum fatalis barbarie squalor , beatioris sæculi  
exortu , abstersus in Europa , & litterarum stu-  
dia etiam in iis gentibus , quæ numquam illa ha-  
buerant , de nouo instituta propagataque felici  
auspicio fuerunt . Longo tempore has oras di-  
ctos populos tenuisse , idem Iornandes & Au-  
relius Casiodorus auctores sunt , qua tempe-  
state ad Theodericum , Gothorum in Italia Re-  
gem

gem, legatos, quos Rex benigne exceperit, misse memorantur. Quod vero solemne illis temporibus fuit, ut migrationibus & coloniis commiscerentur gentes, his Aestii & alios accessisse, & cum illis coaluisse tandem, non est quod dubitemus, quum, in urbibus praesertim, coloniarum, ex Germania interiore deductarum, abunde vestigia, nec illa obscura, apparent. Tum liberam & sui iuris fuisse gentem, ad fidem primum & probabile videtur: quo statu & eo tempore fuisse intelligimus, quum S. Mariae Equites Teutonici, ex Palestina electi, Borussiam occuparunt, ut reliquias Deorum cultus, in agris passim adhuc superstites, Christianorum sacris in locum subrogatis, extinguherent atque delerent. Bene res Equitibus successit, qui regionem longo tractu temporum possederunt, antequam bello a Poloniæ Rege infestarentur, quod varia fortuna gestum, tandem ita sacros milites concusfit, omni auxilio destitutos, ut Magister illorum ALBERTVS Brandenburgicus, FRIDERICI Franconici, qui frater IOANNIS Electoris fuit, filius, cum Rege pacisceretur, eique parte, quam armis subegerat, relicta, maiorem sibi & posteris suis, sub Ducatus forma, qui Polonicæ clientelæ esset, exuta simul tam Ordinis quam

Pontifícia religione , conseruaret. Qui quod  
doctissimus Princeps erat , vt litterarum studia  
in maius vna & melius proferret, in Regio Bo-  
russorum Monte Academiam , quæ adhuc est  
florentissima , constituit. Ab huius filio AL-  
BERTO FRIDERICO Borussia heredi-  
tario iure ad serenissimi REGIS nostri Pro-  
auum IOANNEM SIGISMVN DVM  
peruenit, sed nondum ad formam Regni appa-  
rata , quam demum nostri REGIS Pater  
FRIDERICVS WILHELMVS , magnus  
ille virtute ac felicitate Princeps , soluto nexu  
clientelæ , consentiente Rege & Republica Po-  
lonorum , tamquam victoriæ præmium adqui-  
siuit. Sic via ad Regnum patefacta erat , nec-  
dum vero Regni nomen & insignia admissa,  
quæ in hoc tempus , quo amicior Genti Bran-  
denburgicæ Fortuna , compositis bellis quæ  
Europam adfixerant, reseruavit. Pacato autem  
Christianorum orbe , felicissimus FILIVS  
SVCCESSOR , DOMINVS noster clem-  
entissimus , quod dudum Domus incluta me-  
ruerat , & ad quod magnus Parens aperuerat  
accessum , propitiis fatis & cælo bene fauente  
suscepit, hodie in Regio Monte REX BO-  
RVSORVM , quod felicissime vertat , au-  
gustis ritibus & fulgentissimis cærimoniis crea-  
tus.

Plau-

D

Plaudite nunc Auditores : festo die bona  
verba dicite , grates persoluite immortali Deo,  
qui Brandenburgicam DOMVM , abhinc nona-  
ginta & retro annis magnam quidem , non au-  
tem pro magnitudine meritorum ; tam amplis  
auxit prouinciis , & tot victoriis , & tantis feli-  
citatibus ornauit , & in summum rertim verti-  
cem euexit , vt auspiciis diuinis nunc REGIAM  
dignitatem ac fastigium obtineat & tueatur.  
Et olim hanc eminentem gloriam Fortuna fau-  
trix in MAIORIBVS prolusit . Quum me-  
diocribus adhuc finibus res Brandenburgicæ  
continerentur ; tamen hæc celsa Gens PRIN-  
CIPES habuit , quibus Regna quoque pro-  
pter virtutis magnitudinem ab exteris offer-  
rentur: quemadmodum FRIDERICO II.  
gloriosæ memoriae Eleætori , & Polonicum &  
Boiohemum oblata in annalibus memorantur ,  
quæ ipse vero propter graues cauñas tempo-  
rum , quæ admodum turbulentia erant , magno  
animo recusauit . Fauustum ergo semper huic  
Genti nomen FRIDERICORVM fuit ,  
quia FRIDERICVS Primus Electoralem  
dignitatem in hanc Domum intulit : FRIDE-  
RICVS Secundus dignus Regnis habitus ,  
quæ ei quoque offerebantur : Tertius FRI-  
DERICVS & dignissimus Regno habitus , &  
compos etiam nunc Regni Borussici factus est.

D

Re-

Reputate cum animis vestris, quam ingens  
munus diuinæ bonitatis sit, hanc inclutam Do-  
mum tantis auctibus vno sæculo amplificatam,  
& in tantum elatam fastigium esse, vt altius at-  
tolli nequeat. Sine exemplo hæc felicitas est,  
ab auorum memoria, & amplius, ad nostram  
vñque ætatem. Atteri nonnumquam illustres  
familias, & fortuna, quam habuerant, excidere  
videmus: quæ vero tantis successibus exaltata  
fuerit, & ad summum sine offensa fortunæ tam  
breui tempore adducta, nec vidimus vllam, ne-  
que aliquot sæculorum memoria ex annalibus  
obseruamus. Cum nascentibus creditum feli-  
citatem oriri; quæ vero neque seruatur, neque  
tam cito augetur, nisi magnis sit sustentata vir-  
tutibus. Frequenti consensu sapientes tradi-  
derunt, Heroum virtutem a Deo esse, & fru-  
ctum virtutis felicitatem: sine quo auctore &  
duce nec esse tanta illa, neque seruari possit diu-  
tius. Nec vero preces nihil ac publica vota ad-  
ferunt. Bono Principi bene omnes precantur,  
pro salute eius vota faciunt, quibus benigne  
Deus adnuit, nec preces infructuosas esse finit.  
Quod si cæli munus bonus Princeps est, vti o-  
mnino est; cælo etiam imputemus, quod feli-  
cissimi nostri F R I D E R I C I virtute, beni-  
gnitate ac sapientia tam constanter adhuc frui

li.

licuerit. Quæ natalitiis diebus voto publico pre-  
cabamur , vt salutem PRINCIPIS Deus , vt  
securitatem reipublicæ , vt temporum felicita-  
tem successione æquabili conseruet ; ea audiit  
Deus , & dedit quæ precabamur , immo maiora  
dedit quam precati sumus , aut quisquam opta-  
re ausus fuit . Nihil imminutum fuit : omnia ma-  
iora , nitidiora , quam fuerant , videmus : nec non  
in dies maioris spes incrementi & nouæ prospe-  
ritatis adfulget .

O ergo nimium dilecte Deo tuo REX  
FRIDERICE ! nascentem TE ad opem hu-  
mani generis bona & amica sidera iuuerunt .  
Dei hoc opus est , qui mentem piam , indolem  
erectam , animum sapientem cum Regiis fortu-  
nis tribuit , vnde felicitatis & omnium succe-  
sum exordium manauit . Amplexus es litter-  
arum studia : hinc progressus felicitatis est  
Principum , quia litteræ fundamenta virtutum  
sunt , dum præcepta viuendi bene , & feliciter  
imperandi suppeditant : & quæ præcipiunt ,  
exemplis maximis illustrant , quibus docetur fi-  
eri posse quæ præcipiuntur . Discitur ibi sub  
illustribus magistris , quorum exempla littera-  
rum monumentis commendantur , Regum vi-  
delicet , magnorum Principum , & Ducum bel-  
lo ac victoriis clarissimorum . Quæ si ætate

D 2 te-

tenera in consuetudinem venerunt, deinceps  
omnia officia vitæ , omnes melioris fortunæ  
euentus, & imperandi prudentia , & ipsa, quæ  
diuersissima videntur, militiæ & castrorum mu-  
nia , conualescunt. Hinc est, REX, incredili-  
bilis TVA, quam Orbis miratur, sapientia, cuius  
semina Deus TIBI indidit, quæ litterarum stu-  
diis suscitata ad tantam, quam habes, maturita-  
tem succreuerunt. Hinc pulcherrimi fructus  
ad rem publicam feruntur , & vt perpetuo fe-  
rantur & in posteros propagentur, non solum  
MAIORVM, sed TVIS maxime curis est esse-  
ctum , qui tot vbique immenso sumtu alis &  
conseruas litterarum seminaria , nec contentus  
illis, quæ acceperas, nouum in hac vrbe condi-  
disti , TVAM FRIDERICIANAM , quam tam  
impense amas, & tantis ornas beneficiis, vt vel  
sola documentum sapientiæ TVAE terrarum  
orbi quam illustrissimum maximumque præ-  
stet. Sapientia magistra omnes aliæ in TE vir-  
tutes ad summum sunt perductæ, & quod sum-  
marum præmium est, ad felicitatis perpetua-  
tem. Hinc gloria TVA in immensum creuit,  
& excrescit in dies latior , vt nec finibus aliis,  
quam cæli, possit terminari. Huius nunc æ-  
que, vt omnium virtutum, amplissimos fructus  
casis, REGIS ornamenta & insignia, quæ in-  
gen-

gentium meritorum TE iampridem præmia  
exspe~~ct~~tarunt. Dignus etenim hac gloria eras,  
vt auri & gemmarum fulgor sacratum verticem  
TVVM claro orbe comple~~ct~~eretur , & hinc inde  
radios emicantes designaret , quibus sapientia  
TVA , cuius hi signum sunt , longe lateque per  
sæculorum memoriam dispergetur. Vulgo  
creditur , minus valida arma esse vbi litterarum  
studia plus solito floreant & crescant , quasi  
his animus emolliatur , vt robur inditum ac for-  
titudinem amittat. Secus se res habet , Audi-  
tores. Eualescit animus cultura litterarum ,  
quia hæ gignunt sapientiam , prudentiam alunt ,  
confilia expediunt , nec minus bello quam pace  
res gerendas regunt , & ad felices euentus per-  
ducunt. Monitis suis prosunt , exemplis præ-  
claris incitant , & fortunæ casibus , quos notaue-  
re , cautiiores alios efficiunt. Romani , Græci  
documento sunt , quorum felicitatem litteræ an  
arma plus adiuuerint , ita dubium plerisque sa-  
pientum est , vt tamen , si quod sentiant profe-  
rendum sit , litteris plus omnino tribuant. Sed  
quid antiquis exemplis utimur ad probandum  
de quo certatur ? Vbi iam litteræ quam maxi-  
me coluntur , in Brandenburgicis putate regio-  
nibus ; ibi quam plurima victoriarum moni-  
menta sunt , quæ nemo dubitat ILLIVS sapien-

E tiæ

tiæ tribuenda eſſe , cuius auspiciis geruntur bel-  
la : quo ſecus fieri non poteſt , quin litterarum  
quoque ſtudia , quæ gignunt & nutriunt ſapi-  
entiam , in laudum bellicarum ſocietatem ve-  
niant.

Sed ad obsequium noſtrum , illuſtres & am-  
pliſimi Auditores , reuertamur , vt faciamus  
quidquid diei huius religio nos admonet . Gau-  
dia Plinius , & vota publica , & Traianum Diis  
fuis commendatum memorabat . Gaudium vos  
omnes ore , vultuque & gestibus præferre vi-  
deo , cuius ſi vniquam iusta cauſa fuit , nunc  
certe omnium eſt iuſtissima . Ecquando nobis  
tanta lux & vniuersis Brandenburgicis exorta  
eſt ? quando tantus nos ſplendor circumfulſit ,  
vt poſt innumeratas felicitates , quas a clemen-  
tissimo PRINCIPE ELECTORE habui-  
mus , nunc nouum decus accedat , nouus adful-  
geat ſplendor , qui REGIAM clementiam ,  
REGIAM tutelam & præſidium , & liberali-  
tatem REGIAM pollicetur . Quis non ex-  
fultet gaudio , quum haec videt , quum audit ,  
quum cogitat ? At quid de ſenſibus noſtris in  
gaudium effuſis , quod omnibus maniſtum  
eſt , iam loquor ? ipſae inanimæ res & ſenſuum  
expertes lætari mihi videntur , & hi parietes ,  
noſtris Muſis a munifico ELECTORE de-  
dica-

dicati , quasi gestiunt congratulari , & ab R E G E suo ornamentum REGIVM & decus nouum atque maius exspectare . Video alios apparatus huius diei magnificentia dignos , qui gaudium , quod nos publicum capit , non finent leuiter pertransire , aut intra mentem cuiusque ac conscientiam contineri , sed plausu aereum feriente , sonitu ad cælum concrepante lætitiam vere publicam extollent , & extra moenia longissime celerrimeque proferent : ut quod in Heluii Pertinacis & Septimii Seueri , Principum Romanorum , nummis est , nostrum quoque facere & parietibus inscribere possimus , LAETITIAE TEMPORVM . Quæ quod sub sæculi auspicio obtingunt , fausto omne & aliam inscriptionem , FELICITATI SAECVL , memoriae nostræ repræsentant , quæ vt vere sæcularis fiat felicitas , votis , precibus a Deo precamur , & quæ spes certa innisaque bonitati diuinæ est , etiam impetrabimus . Non enim ita lætandum est , summi Auditores , vt non animum ad fontem lætitiae , qui Deus est , aduertamus . Is votis in publica lætitia colatur , tam exsoluendis veteribus , quam nouis pro futuro tempore concipiendis . Exsoluuntur vetera , quum ipsum , quod precati sumus , vel maius illo , consequuti , Deo , auctori bonorum , gratias

E 2 agi-

agimus, & vt perget benefacere, maiori pietate  
follicitamus. Duxi supra, quantum cum sem-  
per, tum maxime a sæculo benignissimus Deus  
excelsæ D O M V I Brandenburgicæ contulerit,  
quæ quod cuncta eximia, quod maxima & in-  
comparabilia sunt, vtique admonemur iis, vt  
grato animo & pia æstimatione tam ingentia  
Dei munera consideremus, quorum fructu vis  
innumerabilis hominum, etiam infimorum, sub  
tam iusto & tranquillo indulgentissimi PRIN-  
CIPIS imperio adhuc lætatur: quæ in maius  
nunc, accedente REGIA sublimitate, tam  
quam bonorum cumulo, quæ Deus dedit, ex-  
tolluntur. De futuro autem vota gemina fa-  
ciamus, sed arcte inter se connexa, & pro salu-  
te REGIS ac ELECTORIS clementissimi,  
& pro Regni ac Prouinciarum incolumi-  
tate. Omnes promtos paratosque video, vt  
bene precentur REGI suo, vt salutem EIVS  
æterno Numini commendent, vt felicitatem  
publicam ab eodem petant, & sacris laudum se  
religionibus obstringant, quas Deo, votorum  
compotes facti, circumactis annis, reddituri  
sint. Romanorum nummis multis inscriptum  
in laurea videmus, VOTIS DECENTNALIBVS;  
quippe decem annorum spatio imperium Prin-  
cipum diuidebant, & decennii felicitate potiti,

vota

vota soluebant decennalia; vna pro alteris decem annis, vicennalia nuncupantes: & annis, viginti exactis, tricennalia signauerunt. Major nostra pietas est, Auditores, quam vt vobis , bene precando intra decem annorum gradus singulos consistat ; sed quod in votis summum est, saltu quasi vult contingere ac adsequi, & vnis votis impetrare omnia. Itaque decennalia vota pro salute REGIS ita facimus, vt vicennalia simul, & tricennalia, & si quæ ultra sunt, comprehendamus, nec non interea annorum singulorum rationem habeamus.

Vide ergo, REX sacratisime, vide DOMINE multo clementissime, quanto studio, quanta pietate saluti TVAE intenti simus. Audi bona verba , & lætare : audi pias voces , fauatas acclamations pro salute TVA, pro felicitate TVA, pro incolumitate TVORVM omnium in caelum certatim emissas, quæ efficiant necessitate est quod volunt; & impetrent quod optant, quia robur diuinum ineſt precibus, quas tanta vis hominum in tam pia & iusta cauſa fundit. Nec enim quisquam in Regno Tvo est, in cunctis TVIS, quam late patent, Provinciis, quin idem nunc sentiat, idem loquatur, idemque a Deo pro salute TVA conceptis formulis preceatur. Omnes alta voce clamamus , omnes ex

F.

animo

animo precamur: Seruet TE Deus, REX felicissime, annos Deus Tvos augeat, consilia, actus fortunet, successum pace, bello exoptatum det. Seruet TE Deus, vt plurimos serues, omnibus benefacias, & quod proprium nostrarum precum est, litterarum studia, sicut facis, benignissime semper foueas & conserues, quo vberiores fructus ad rem publicam ferantur, &, quod consequens est, sacrum NOMEN TVVM, vt mereris REX, consecretur æternitati. Seruet quoque Deus serenissimam CONIVGEM, augustam REGINAM, & ipsam multo clementissimam DOMINAM nostram, vt REGIA illius indole ac suauitate perpetuo læteris. Seruet Deus & IVENTVTIS PRINCIPEM, Regni & Electoratus Heredem, DOMINVM itidem nostrum clementissimum, RECTOREM FRIDERICIANAE TVAE MAGNIFICENTISSIMVM, vt per ipsum aliquando & posteri felices sint, sicut Tvo, REX, imperio salui nos præsentes sumus. Deus quæ precamur audiat, & donis in TE suis & in TVIS omnibus adiiciat perpetuitatem.



Nf 818.

S

4-

W





PANEGYRICVS  
SERENISSIMO POTENTISSIMOQUE PRIN-  
CIPI AC DOMINO, DOMINO  
**FRIDERICO,**  
**REGI BORVSSIAE,**  
**MARCHIONI BRANDEN-**  
**BVRGICO AC S. ROM. IMPERII ARCHI-**  
**CAMERARIO ET ELECTORI, DVCI MAGDEBVRGI, CLI-**  
**VIAE, IVLIACI, MONTIVM, STETINI, POMERANIAE,**  
**CASSVBIORVM, VINEDORVM, AC INSILESIA CROSNAE,**  
**BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI, PRINCIPI HALBERSTADII,**  
**MINDAE, ET CAMINI, COMITI HOHENZOLLERAЕ, MARCAE,**  
**ET RAVENSBERGAE, DYNASTAE RAVENSTEINI ET TERRA-**  
**RVM LAVENBVRGI AC BVTOVIAE,**  
**CETERA,**

*REGI AC DOMINO SVO LONGE  
CLEMENTISSIMO,*

IPSO REGALIS AVSPICII ET SACRAE  
VNCTIONIS DIE,

HOC EST

XVIII IANVARII c15 Iccii

**ACADEMIAE FRIDERICIANAE**  
PVBLICO NOMINE  
DEVOTISSIME DEMISSISSIMEQUE  
DICTVS

A  
**CHRISTOPHORO CELLARIO,**  
ELOQVENTIAE PROFESSORE.

HALAE MAGDEBVRGJCAE,  
LITERIS CHR. HENCKELII, ACAD. TYPOGR.

M